1882. III. 64.

Decisio Rotae Romanae. – Leopolien.
Canonicatus Georgii de Meliorum[?]s.
1719.

Leopolien. Canonicatus.

VAcato nupèr Canonicatu Metropolitanæ Ecclesiæ Leopoliensis, cuius collatio, & prouisio ad Sedem Apostolicam pertinebat, placuit Sanctissimo de eodem prouidere D. Equitem Georgium de Meliorucijs inPetrella Vvientzlavvski, Diœcesis Cracouiensis, Nobilem, Canonicum Chelmensem, Philosophiæ Doctorē, & vtriusq; Iuris laurea decoratum; Cumque contra ipsum rumor increuerit exceptionum, & obstaculorum in executione Bullarum, & Pontificiæ gratiæ ex defectu antiquæ Nobilitatis Polonæ, consultus extiti ego infrascriptus, vt circa hanc controuersiam meos sensus pro veritate exponerem, & in eiusdem veritatis obsequium, eam Sententiam amplectendam esse censui, quod nempè dicto Prouiso Apostolico executio Bullarum, & Canonicatus possessio, nequaquàm impediri valeat, non obstantibus Constitutione Apostolica san: mem: Leonis X., & illius confirmatoria, & declaratoria san: mem: Pauli III., ac alijs exceptionibus, singularitèr in illarum confutatione recensendis.



In præfata Constitutione, ac literis Apostolicis san: mem: Leonis X. relatis per extensum in opere, cuius titulus = *Ius Regni Poloniæ* = *Auctore D. Nicolao Zalaszovvski fol.*892. *tom.*1. *sub Dat. Romæ apud S.Petrum anno* 1515. *pridiè Kal. Augusti* sancitū legitur, quod Canonicatus Præbendæ, & Dignitates in Metropolitana, & Primatiali Ecclesia Gnesnensi, ac in quatuor eius Suffraganeis nimirum Cracouien., Vladislauien., Posnanien., & Plocen., nonnisi illis, qui de nobili genere ex vtroque Parente procreati forent, conferri possent, quatuor dumtaxàt Canonicatibus, & Præbendis in singulis Ecclesijs prædictis, exceptis, de quibus etiam non nobiles, quorum tamèn duo in Sacra Theologia, Magistri, & alij duo in vtroque Iure Doctores esse deberent, prouideri possent.

Hanc Constitutionem Leonis X. approbauit, ampliauit, & declarauit Paulus III. per eius literas Apostolicas, relatas per supracitatum Auctorem *fol.*896. *tom.*1., & datas sub die 16. Octobris 1543., in quibus dictis quatuor Præbendis, & Canonicatibus conferendis etiam Ignobilibus in Sacra tamèn Theologia, vel in vtroque Iure, vt supra, graduatis, addidit quintam Præbendam conferendam Medicinæ Magistro, & voluit, quod præfatæ quinque Præbendæ nonnisi Ignobilibus, vt supra tamèn graduatis, conferrentur, & essent æquales in redditu, alijsque prærogatiuis cœteris Præbendis, & Canonicatibus Nobilium.

In istis autèm Pontificijs Constitutionibus nullum constitui posse exceptionis fundamentum, ad impediendam executionem literarum Apostolicarum fauore dicti D. Prouisi, clarè liquet ex eo, quod eædem Constitutiones Apostolicæ restrictæ, & limitatæ leguntur ad

 so-

ſolas Metropolitanam, & Primatialem Eccleſiam Gneſnen., & illius Suffraganeas Cracouien., Vladislauien., Poſnanien., & Plocen., vnde ad Metropolitanam Eccleſiam Leopolienſem, de cuius Canonicatu nunc agitur, extendi nequeunt, etiamſi admittamus in illa concurſum earumdem rationum, & motiuorum, ex quibus ſupra relati Pontifices ad præfatas Conſtitutiones deuenerunt; nàm in iſtis non datur extenſio de caſu ad caſum, & de vna Eccleſia ad aliam, etiamſi concurreret æqualitas, imò maioritas rationis, quia ſunt gratiæ ſpeciales, ſtrictè, & ad limites conceſſionis ſumendæ, & reſtringendæ, nedùm quia adimunt Summo Pontifici liberam, & abſolutam Beneficiorum diſpoſitionem ad fauorem illius, & illorum, quos ex perſonalium virtutum, & meritorum præcellentia, gratificandos fore cenſeret, verùm etiam quia ſunt correctoriæ Iuris communis, iuxta quod in collatione præſertim Beneficiorum, & Chriſti Domini Patrimonij diſtributione, non tàm conſiderari debet nobilitas Sanguinis, quàm morum præcellentia, ac ſcientia, & virtus, quæ nobilitati generis præferenda eſt *Hermoſill. ad leg. partit. prol. tom.1. gloſſ.3. fol.15., Paul. Rubeus in diſcurſ. ad ſtudioſos omnes num.117., & ſeqq., & num. 282., & ſeqq. in principio part. 4. tom. 2. deciſ. recent.*; Illa enìm nobilitas, quæ à ſuis Maioribus procedit, eſt præſumptiua, illa verò, quæ ex propria virtute ortum habet, eſt certa *Anſald. conſ.138. per tot., Maſcard. de probat. volum.1. concluſ.1098., Viuian. commun. opin.197. per tot., Paul. Chriſtin. deciſ. Belgic. deciſ. 226. per tot. volum.1., & deciſ.5. volum.5., & ad leg. municipal. tit.5. art.1. num.11.*

Et ſanè apud Deum abſque Perſonarum, & generis acceptione ſumma nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus *Tiraquell. de nobilitat. cap. 4. num.12.*, vbi tranſcribit aurea verba Diui Hieronymi, quæ hìc pariter tranſcribenda cenſui, ibi = *Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam ſe ſeruare putet, ſi dedignetur ſeruire vitijs, ab eiſque non ſuperari*, = & paulò inferiùs = *Nulli te vmquàm de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores quoque humiliore loco natos, te inferiores putes. Neſcit religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones Hominum, ſed animos ſuſcipit ſingulorum; ſeruum, & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis; ſumma apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum in Viris nobiliùs Petro, qui Piſcator, & Pauper fuit? &c.*

Et hanc eamdem præcellentiam nobilitatis, proprijs virtutibus comparatæ, ſemper anteponendæ nobilitati ex maiorum geſtis, & opinione promananti, agnouit etiam glor: mem: Sigiſmundus Poloniæ Rex in eius Regio Diplomate fauore Doctorum, & Lectorum in Alma Vniuerſitate Cracouienſi, dato de anno 1535., & relato per præfatum *D. Nicolaum Zalaszovvski in allegato eius opere = Ius Regni Poloniæ = dicto tom.1. fol. 579.*, in quo ſtatuit, vt præfati

Do-

Doctores, & Lectores, licèt ex ignobilibus Parentibus orti, quas vis dignitates, munera, & officia tàm spiritualia, quàm sæcularia, siue senatoria, siue equestria, assequi valerent, addita ratione per hæc verba = *Satiùs enìm est, gestis proprijs florere, quàm maiorum opinione vti, nec maior nobilitas est, ea, quæ proprijs virtutibus comparatur &c.*

Ex his autèm assequimur, quod præfatæ Apostolicæ Constitutiones san: mem: Leonis X., & Pauli III., nedùm tamquàm restrictiuæ, liberæ, & absolutæ dispositionis Beneficiorum, quam Summus Pontifex habet, sed etiam correctoriæ Iuris communis, iuxta quod sine personarum, & graduum acceptione, in Ecclesia Dei merita vniuscuiusque æquali lance ponderanda, & retribuenda sunt, strictè accipiendæ veniunt ad nudam literam concessionis, nec vltrà Ecclesias in eisdem literis expressas trahendæ *Calderin. consil.*11. *sub primo vers. nec obstat de priuilegijs*, *Paris. cons.*141. *num.*15. *vers. iterùm in huiusmodi dispositione lib.*3., *Rot decis.* 645. *num.*3., *& seqq. part.*3. *recent.*, *& alibi passìm*, & per consequens cùm in illis nulla prorsùs fiat mentio de nostra Ecclesia Leopoliensi, non valent aliquem, vel minimum obicem ponere executioni literarum Apostolicarum, & gratiæ Pontificiæ fauore præfati Domini Equitis de Meliorucijs Vvientzlavvski.

Minusquè vis aliqua fieri potest in eo, quod cum in antiquis Constitutionibus Regni æditis de annis 1496. 1505., & 1510. sancitum reperiretur, quod ad Episcopatus, Prælaturas, & Canonicatus nonnisi Nobiles ex vtroque Parente procreati, assumerentur, eædem Constitutiones reassumptæ sub Stephano Rege de anno 1676., ac de anno 1607. extensæ fuerint ad Ecclesias Cathedrales Russiæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, vt refert citatus *Zalaszovvski to.* 1. *à fol.*889. *ad fol.*891.; Quoniàm quemadmodùm præfatas Constitutiones, & Statuta Apostolicæ confirmationis robore indigere agnouit Sigismundus Rex, & sub certis conditionibus, & legibus confirmari obtinuit quoàd suprà relatas Ecclesias Metropolitanam, & Primatialem Gnesnensem, eiusque Suffraganeas Cracouien., Vladislauien., Posnanien., & Plocen.; Ità pariformitèr in extentione earumdem Constitutionum, & Statutorum ad Ecclesias Cathedrales Russiæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ recurrendum erat ad Summum Christi Vicarium, & illius assensus, àc Apostolica confirmatio impetranda.

Quià candidè prò veritate meos sensus aperire velle declaraui, coactus fui, in eiusdem veritatis obsequium, præfatas rationes deducere, licèt D. Eques Meliorucius prouisus Apostolicus illis minimè adhęrere intendat, sed potiùs præ viribus, àc strenuè tueri Iura, & prærogatiuas Reuerendissimi Capituli Leopolientis illiusque DD. Capitularium, in quorum Albo supremæ dignationi Sanctissimi placuit illum adscribere. Vndè vltrò per ipsum admissa ex-

tensione Bullarum san.mem.Leonis X., & Pauli III.ad Ecclesiam Leopoliensem,àc Regni Constitutionibus,& Statutis,non dubitat ad strictam illorum censuram,executionem Bullarum, & Canonicatus possessionem sibi deberi.

Etenim tàm præfatæ Constitutiones Pontificiæ, quàm Constitutiones, & Statuta Regni exigunt, quod quis sit de nobili genere ex vtroque Parente procreatus, & talem se esse docet dictus prouisus Apostolicus. Ex authenticis enim, & legitimis Testimonialibus Literis Confalonerij, & Senatus Ciuitatis Castelli olim Tipherni Tiberini dictæ Patriæ D. Equitis Dominici Mariȩ Meliorucij filij bo.me. Comitis Andreæ,Patris D Prouisi habetur,illius Familiam,& Prosapiam Melioruciam ex Dynastis, & Marchionibus Petrellæ intèr antiquiores, & Nobiliores familias eiusdem Ciuitatis connumerari, illamque ferè ab initio currentis millesimi ideſt à septingentis circitèr annis Illustribus Viris, Sago, & Toga conspicuis, effloruisse, Magistratus, supremasque Dignitates Ecclesiasticas, & Sȩculares, Legationes, Armorum Præfecturas, Arcium Gubernia,Castellanatus, Capitaneatus, cȩteraque militaria Munia, & Officia in Italia, Germania, & Gallia obtinuisse, & exercuisse, & Militarium Ordinum Crucibus toties insignitam, ac varijs Honorum gradibus decoratam fuisse.

Præfata Ciuitas Tiferni Tiberini, nùnc Ciuitas Castelli dicta, in Vmbria propè Etruriam est sita, & aliàs in antiqua Etruria comprehensa, àc intèr celebriores, nobiliores, & antiquiores Italiæ Vrbes connumeratur; Antiquitùs tamquàm Respublica sub electiuo capite, & Duce regebatur; in rebus Militaribus, àc Bello potens, & hostibus insuperabilis;deindè ob nimis communes rerum,& temporum vicissitudines, ex quibus potentissimæ Respublicæ, & Dominia, àc Imperia Virium diminutionem, & Status variationem passa fuerunt, ad resistendum Hostibus, quibus vndique appetebatur, se imparem agnoscens, suaue Iugum Dominij Successoris Petri suscepit, & illi spontè se subiecit, vt ex annalium, & Hystoricorum lectura deprehenditur.

Ex qualitatibus tàm conspicuæ, antiquæ, & peruetustæ Familiæ, è celebri paritèr, & famosa Ciuitate oriundæ,permotus Serenissimus, àc Potentissimus Rex Augustus II., nùnc felicitèr regnans,præfatum Dominum Dominicum Mariam Meliorucium Patrem D. Prouisi, qui dulcedine libertatis allectus, in Poloniam se transtulerat, ibiquè suum Domicilium firmauerat, & Nobilem Mulierem Polonam Matrimonio sibi copulauerat, dictum inquàm Dominum Dominicum Mariam Meliorucium cum suis descendentibus in Comitijs eius solemnis Coronationis intèr Nobiles sui regni adscripsit,& ad Nobilitatis prærogatiuas admisit, illumque vlteriùs, àc eius Posteros, & descendentes Equites Ordinis Aureæ Crucis creauit, vt ex regio Dyplomate expedito sub die 16.Septemb.1697.

Dùm itaquè Prouisus Apostolicus ortum habuit Poloniæ, vndè est insigni-

signitus qualitate volita in concordatis intèr Sedem Apostolicam, & Serenissimam Rempublicam Poloniæ, quod naturalibus Regni, & non exteris, Beneficia conferantur, & nedùm est de Nobili genere ex vtroque Parente procreatus, proùt volunt præfatæ Constitutiones Apostolicæ Leonis X., & Pauli III., sed multos numerat Auos Atauos, & Progenitores Nobiles, & quidem à septingentis circitèr annis, nulli dubium erit, quod in illo superlatiuè nimis concurrant requisita volita ad assecutionem Canonicatus Leopoliensis.

Et in hoc benigna ponderatione dignum credimùs, quod tàm prę-fatæ Pontificiæ Constitutiones, quàm Statuta, & Constitutiones Regni, requirunt quidèm, quod quis sit de Nobili genere ex vtroque Parente procreatus, sed minimè præcipiunt, quod Progenitores, Nobiles Poloni esse debeant, & hoc summo Iure, quià sufficere debet, quod vbicumque Natalia sortiti fuerint, sint nobiles iuxtà mores, & leges omnium gentium, nimirùm quod eorum nobilitas, & Patriæ claritate, & virtute gentis exculta sit, quo in casu apud omnes homines, & nationes talis nobilitas splendorem, & dignitatem retinet, vt docet *Tiraquell. de Nobilitat. cap.37. num.155. versicul. Ex quibus* ibi = *Ex quibus intelliges eos esse simplicitèr atquè vbiquè Nobiles, qui legibus, & Moribus omnium gentium Nobiles dicuntur, vt qui Regibus, aùt aliàs antiquo, claroque àc Nobili sanguine sunt prognati; nulla enim gens est, quæ non hos Nobiles existimet &c.* =, & successiuè post *num.* 156. ibi = *Absoluta autèm Nobilitas numquàm loco dimouetur, & vbiuis gentium fuerit, sempèr altis defixa radicibus, animis hæret, & eamdem apud omnes nationes dignitatem habet &c.* = & rursùs post pauca = *Illa verò quæ, & Patriæ claritate, & virtute Gentis exculta est, apud omnes homines splendorem retinebit* = & consonant verba *Mastrill. de Magistrat. libr.* 4. *cap.* 14. *num.*55., *& seqq.*

In nihilo obstante obiecto forsàn faciendo, quod in Statutis, & Constitutionibus Regni, àc etiàm in pactis initis intèr S.RegiāMaiestatem, & Serenissimam Rempublicam in eius electione, cautum reperiatur, quod illi, qui recentèr nobiles creabuntur, ad officia, & beneficia ad tertiam progeniem non admittantur. Quoniam D. Dominicus Maria Meliorucius Pater D.Prouisi, non fuit recenter creatus Nobilis, tamquàm si ex luto infimæ, & abiectæ Plebis, fuisset a Regia potestate ad nobilitatem euectus, & assumptus, sed benè tamquam nobilis ex conspicua, & peruetusta externa Familia, ad prærogatiuas Indigenatus, & Nobilitatis Polonæ admissus, vt literis curobitalibus expressit Serenissimus Rex in præfato eius Regio Diplomate, quod est valdè diuersum à noua, & recenti creatione nobilis, vt agnouit Starouolscius in Descriptione Polonię sub Verbo *Nobilitatis Prærogatiua* ibi = *Præstabilius autèm Nobilem natū esse, quàm creatum, & ad nobilitatis prærogatiuas admissum &c.* = & alia est Nobili-

bilitas incipiens, alia crescens, & alia perfecta, vt ex *Bald. in l. Nobiliores C. de comm. & Merc.*, docet *Tiraquell. de Nobilit. cap. 19. n. 10.*; Vndè loco regulæ exclusiuæ Nobilium nouitèr creatorum ad tertiam generationem, appositæ in prædictis pactis, initis intèr Sacram Regiam Maiestatem, & Serenissimam Rempublicam, relatis per præallegatum Zalaszouski *d. to. 1. f. 368. n. 21.*, habet locum exceptio incontinenti apposita ibi = *exceptis ijs qui in exercitu fuerint benemeriti &c. vel ijs, quos ex antiquis externorum familijs ad Indigenatum recipiemus.* =

Eiusdem irreleuantiæ erit exceptio, quod in similibus Nobilium creationibus requiratur præsentia, & consensus Ordinis Senatorij, & Equestris, quodquè nobilitandus recommendari debeat à dd. Reipublicæ Ordinibus, & cum eorum assensu ad nobilitatem assumi; Quoniàm, vt suprà diximus, nos non sumus in casu nouæ, & recentis creationis Nobilis, sed in declaratione antiquæ conspicuæ, & peruetustæ nobilitatis facta à Rege, Cuius intuitu, & contemplatione ad prærogatiuas Indigenatus, & Nobilitatis Polonæ Prosapiam de Meliorucijs admisit, & irrefragabile Testimonium per eius Regium Diploma de agnitione illius Nobilitatis dedit; Vndè cessabat necessitas solemnitatum in noua, & recenti creatione Nobilis requisitarum; Sed nihilominùs illas superabundantèr intercessisse, constat ex tenore Regij Diplomatis ibi = *Nobis, & Maiestati nostræ Regiæ commendatum &c.* = & paulò inferiùs ibi = *In præsentia tàm Senatorum, quàm Dignitariorum, & Officialium Regni, ac Equestris Ordinis &c. adstantium, huncq; actum inspicientium publicè creauimus &c.* = àc maiori, & specialiori nota, & ponderatione digna sunt subsequentia verba in eodem Regio diplomate apposita ibi = *More antiquorum Nobilium Regni nostri, habiles, & idoneos, omniumque prærogatiuarum, honoris, tituli &c. capacem cum eius Successoribus reddidimus &c.* = Ex quibus quidèm verbis omnis adempta remanet difficultas circà capacitatem D. Equitis Georgij Meliorucij, obtinendi beneficia, ad differentiam descendentium à Nobili recentèr, & nouitèr creato, quibus nonnisi post tertiam generationem ad eadem Beneficia aspirare licet.

Non officit demùm, quod Dominus Eques Dominicus Maria Meliorucius Pater D. Prouisi, post dictam admissionem ad prærogatiuas Indigenarum, & Nobilium Poloniæ, Mercaturam per aliquot annos, mediantibus eius Factoribus, & Ministris exercuerit; Qua in re prænotandum in facto, quod ob nimis notos Regni Poloniæ motus, & acerrimi Belli calamitates, ac assiduas grauantissimas contributiones, timuit dictus Dominus Eques Dominicus Maria nè eius peruetusta, & conspicua familia honoribus, & prærogatiuis etiam in Regno Poloniæ adaucta in paupertatem redigeretur, ex qua nobilitas ipsa contemptui, ac ludibrio esset, ac manca, & mutila iuxtà Sententiam *Tiraquell. de Nobilitat. capit. 25. num. 9.*;

scie-

sciebat enim ipse, quod mundi Nobilitas nil aliud est, quàm inueteratæ diuitiæ *Tiraquell. citato tractat. cap.3. num.8.*, & 9., quodque, vt quis Nobilis existimetur vltrà Progenitorum virtutem, opulentia copulatiuè requiritur ibidem *n.11.* Vndè ad conseruandas facultates, & opulentiam vnicum, & precipuum nobilitatis fundamentum, ad Mercaturæ (non quidem vilis, sed quæ in Anglia Hollandia, Lusitania, Etruria, Ianua, & quàm plurimis Orbis partibus, Nobilitati non præiudicat *Teste Scominouio l. prima institut. fol.69.*) refugium se conuertit, illamque durante temporum calamitate exercuit.

Hoc facto posito, occurritur exceptioni, fundatæ in d. Mercaturæ exercitio, cum duplici responsione. Prima quod exercitium cuiuslibet artis nobilitati repugnantis, nocet quandiù quis in eo versatur, & non vltrà, *Mandel. cons.43. per tot., Tiraquell. de nobilit. cap. 33.*, & *35. per tot. Fontanell. dec.292. paritèr per tot.*

Secunda quod quandò agitur de nobilitate proueniente à Sanguine, non amittitur per exercitium alicuius artis per aliquem exercitæ, quià non potest præiudicare nobilitati ab Antecessoribus in posteros deriuatæ *Tiraquell. de Nobilit. cap.35., Noal. de transmiss. cas.29. n.25.*, & *seq.* cum alijs per *Rot. dec.213. n.10.*, & *seqq. par.13. rec.*, *Vrceol. consult. forens. qu.55. n.45.*, & *seqq.* Et quò ad admissionem ad prerogatiuas Nobilitatis Polonæ ex Regio Dyplomate, cum Rex nedum D. Dominicum Mariam Patrem, verùm etiàm eius Posteros, & descendentes ad illas admiserit, actus populares Patris non præiudicant filijs *Tiraquell. de Nobilit. d. cap.35. n.25.*

Hanc eamdem veritatem concursus in D. Prouiso omnium qualitatum & requisitorum ad obtinendas quascumque Prælaturas Dignitates, & Canonicatus in quibusuis Cathedralibus, & Collegiatis Regni, agnouerunt, & testati fuerunt tàm piè defunctus Celsissimus Episcopus Cracouiensis, quàm illius Reuerendissimus Suffraganeus in literis Testimonialibus d. D. Prouiso datis, quod quidèm Ordinarij, & illius VicesGerentis Testimonium, summoperè iuuat, ad diripiendas exceptiones incapacitatis d. D. Prouisi.

Et ità prò veritate respondendum Censui saluo sempèr &c.

Ego Petrus Paulus Quintius V.I.D., ac in Romana Curia, & Sacro Rotæ Auditorio Causarum Patronus.

Leopolien. Canonicatus.

In Casu Collationis Canonicatus eiusdem Metropolitanæ Leopolien.

Illm̃o D. Equiti Georgio de Meliorucijs in Petrella VvientzlausKi.

Responsum prò veritate.

Typis Zinghi, & Monaldi 1719.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0022386